

qui siue sint in matrice, siue orientur in partibus circumiacentibus, semper vterum
feminarum angustare possunt.

E DE PRAVA CONFORMATIONE
Brachiorum, & Manuum.

Cap. IV.



F V M Natura multis illaqueata impedimentis, in formandis brachijs, & manibus, errata quandoq; committat; hoc in loco illa exarare decreuimus. Primitus varios foetus sine brachijs natos proponemus: deinde partus cum brachijs mutilis, & transpositis: tertio cum brachijs multiplicatis ponderabimus; vt tandem manus quoque monstrificas recenseamus.

Quoad primam differentiam, Schenchijs in obseruationibus multas exarauit historias eorum, qui sine brachijs in lucem prodierunt. Dion in Vita Augusti, referente Caelio Rhodigino, inter munera ab Indis Augusto missa recensuit Tygres Romæ nunquam antea visos, & adolescentulum sine brachijs, qui pedibus tantum functionem, manuum obibat, dum arcum intendens sagittas iaculabatur. Rursum Georgius Pictorius fatetur se nouisse Hispanum sine brachijs natum, & pedibus admodum celerem: etenim nebat, & acu expeditius pingebat, quàm mulier citissima ambabus manibus. Immo arma bellica ita affabrè pertractabat, vt nullus miles maiori agilitate illis vti posset.

*Lib. 5. obser.
Lib. 4. lect.
antiqu. c. 12.
Lib. 4. Serm.
conuiu.*

G Iterum Gyraldus nouit hominem sine brachijs natum, qui adultus, loco manuum, pedibus mira dexteritate in accipiendo, reijciendo, secando, & ludendo utebatur. Præterquamquod Vucinrichius tradidit, anno duodecimo supra millesimum, tempore Henrici Secundi, Gemellos in Saxonia esse natos, qui loco brachiorum, alis anserinis erant referti. Monstrum quoq; illud Rauennæ est natum sine brachijs anno supra sesquimillesimum duodecimo, quorum loco alas habuisse, Authores memorant.

*L. 2. Itiner.
L. de Mons.*

Pariter Iacobus Ruffus meminit puellæ sine brachijs natæ Priuerni, anno mundi octingentesimo tertio supra tria millia, quæ, præter brachia, reliqua corporis parte optimè erat constituta, vt in figura I. vnusquisque potest intueri. Quæ historia à Licosithene quoq; recitata fuit.

I.

H Sed iuxta relationem eiusdem Authoris, anno Domini supra sesquimillesimum vigesimo octauo, mulier sine brachijs nata est Francfordiæ ad Moenum, quæ adulta, licet manibus careret, mira agilitate pedibus utebatur: nam arrepto pedibus calamo literas elegantes exarabat, colum tractabat, pecunias numerabat, & subtilissima quæq; opera digitis pedum moliebatur.

Item Nicolaus Rocheus narrat vidisse mulierem sine brachijs, anno Domini supra sesquimillesimum quadagesimo, in castro Amandino Allifero, quæ pedibus, vice manuum, cyathum apprehendebat, & more belligerantium, arreptis baculis, tympanum pulsabat. Pareus quoq; Lutetiæ mulierem sine brachijs multa operantem obseruasse memorat.

*In l. de cur.
morb. e. 32.*

Amplius anno Domini supra sesquimillesimum quadagesimo octauo, mense Aprilis, Misenæ, iuxta sententiam Licosithenis, ortus est infans, loco oris, exiguum habens foramen, sed magis admirandum est, quod brachijs carebat, & vnico tantum crure nitebatur, vt figura II. demonstrat. Immo Hali Rodoham in Commentarijs ad artem medicinalem Galeni scriptis mandauit, se quandoq; conspicatum fuisse virum valdè diminutum, qui brachijs, & pedibus carebat.

*II.
Vir carens
brachijs.*


Rursum in Agro Piceno, vt Cornelius Gemma diuulgauit, infans quidem sine bra-

bra-


I. Puella sine brachijs.



II. Infans sine brachijs, & vnico crure.



III. Infans sine brachijs, & pedibus!



brachijs in lucem prodijt, sed pedibus etiam carebat; & Licoſthenes, anno Mundi ſeptingentefimo ſeptuageſimo ſecundo ſupra tria millia id accidiſſe publicauit; vt in figura III. cernitur.

E Prædictis additur alius partus ſine brachijs, in Thracia natus, anno Domini ſexcentefimo primo; vbi mulier enixa eſt fatum monſtrificum, & quali Naturæ piaculum: cum neque manus, neque brachia haberet; deinde ratione reliquæ conſtitutionis corporis, effigie, & forma iuſta carebat: etenim oculorum, ciliorum, & ſuperciliorum erat expers; & ad coxendices cauda inſtar piſcis illi adnata dependebat. Hoc autem opus Naturæ valdè monſtrificum, Mauritius Imperator conſpicatus interfici iuſſit, gladiumque ſtatim eſt exoſculatus. Mater autem, quæ monſtrum ediderat, cum ſua culpa id procreatum eſſe non arbitraretur, crimine fuit abſoluta. Figura III. hoc monſtrum manifeſtat.

Monſtrum ne-
catum iuſſu
Imperatoris.

III.

Lib. 17. de
ſubtilitate.

Exerc. 334.

Cardanus quoque monimentis mandauit ſe viſiſſe quemdam ambobus brachijs carentem, qui dextro pede haſtam vibrabat, veſtem ſuebat, edebat, ſcribebat, & in acum ſilum emittebat, neque multos teſtes deſuiſſe aſſeuerat, cum res publicè ageretur. Item Iulius Cæſar Scaliger, eundem hominem, nomine Antonium, brachijs carentem, qui ſe Neapoli oritur prædicabat, in Allobrogum prouincia obſeruaſſe teſtificatur, qui omnibus miraculo fuit: etenim, præter enarratas à Cardano operationes, vt inquit Scaliger, clauum in aſſerem panitūs malleo adigebat, deinde mira celeritate, conuerſis mallei auriculis illum extrahebat.

Hominem huius generis monſtroſi viſum fuiſſe anno vigefimo octauo ſupra ſeſquimilleſimum Licoſthenes recenſuit. Pareus autem hominem quadragenarium conſpicatum eſſe Lutetiæ affirmat, quadrato corpore, brachijs carentem, vt icon V. monſtrat, qui omnia munia, quæ manibus perfici ſolent, feliciter obibat: quandoquidem trunco humeri, capite, & collo adiutus ſecurim in oppoſitum palam vibrabat maiori iſtu, quàm quilibet alius manu id præſtaret. Flagellum Aurigæ tanta vi diſtringebat, vt magnum ſtrepitum, aere percuſſo, ederet. Præterea pedibus edebat, bibebat, talis, & aleis colludebat: ſed tandem latro, & ſicarius deprehenſus, & comprehenſus, lata vltimi ſupplicij ſententia, ſtrangulatus, & rotæ affixus fuit.

Lib. 24. c. 6.
V.

G Cæterum Ioannes Schenchiuſ ſenior, ſine eundem, ſive alium eiufdem ætatis, & conſtitutionis corporis, brachijs carentem, qui ſe Heluetium prædicabat, vidit Haghenoe, vbi, præter alia à Pareo narrata, ramum ſagæ craſſitudinis brachij, mento, & humeris apprehenſo, & euaginato gladio, vnico iſtu diſſecabat, & ſimili modo arreptam bipennem in designatum locum in tabula parieti adhærente exactè impingebat.

Ioannes Georgiuſ Schenchiuſ meminit alterius vtroq; brachio carentis, qui conſpectus fuit Halæ Sueuorum, anno octuageſimo ſexto ſupra ſeſquimilleſimum, qui Thomas Schuueicken appellabatur, & quæ alij manibus ingenioſiſſima opera, eadem ille pedibus incredibili ſolertia perficiebat. Immo Schenchiuſ fatetur ſe viſiſſe ſcripturam pedibus ab hoc homine exaratam tam eleganter delineatam, emblematicuſq; varijs circa margines exornatam, vt proculdubio peritiſſimos, qui in Ciuitatibus munus publicum ſcribendi exercent, poſſet ſuperare. Propterea epigramma in dextertatem huius viri conſcriptum apud Schenchiuſ eſt huius tenoris.

Operationes
hominis ſine
manibus.

*Quod digitis alij præſtant, hoc præſtat id ipſum
Schuueickerus mira dextertate pedum.
Is pede depingit decoratos ſymmate verſus,
Ille cibum pedibus, carpit, & omne facit.
Hoc opus eſſe Dei mirandum nemo negabit,
Qui modò pectus habet, quod ratione valet.*

De hoc viro ſine brachijs nato multa poſſent afferri teſtimonia, ſed inſtar omnium ſit doctiſſimus Camerariuſ, qui de illo hæc verba prodidit. Mira eſt prouidentia, & ſolicitude Naturæ, quam rerum omnium Opifex ei tanquam optimæ matri assignat. Quandoquidem ea, membris animantium diſtortis, vel mutilatis, aut debilitatis, vel etiam penitus deficientibus, plerūq; alijs membris præter ſuum officiū, cui ſunt deſtinata, tale robur, & dextertatem, ex cōtinua conſuetudine ſuppeditat, vt mirū ſit dictu. Nam cū eſſemus Comburgi, apud nobilem, & præſtantiſſimū virū Eraſmum Neinſtetterum.

III. Foetus sine brachijs cum cauda piscis.



V. Homo quadragenarius brachijs carens.



S s

terum. Is enim cum nulla erga nos benignitatis prætermisisset officia, iussit accer-
Thomas firi ex vicinis salinis Sueuicis Thomam Schuueikerum tunc annum trigessimum pri-
Schuueiker. mum agentem, & ex honestis parentibus natum; qui, licet mater sua absque brachijs,
 eum peperisset, nihilominus omnia manuum munia, pedum subsidio exequabatur. A

Nam cum in editiorem locum, qui altitudinem æquabat tabulæ, in quo esculenta
 erant apposita, conscendisset, apprehenso pedibus cultro, scindebat panem, & alios
 cibos, & pedibus tanquam manibus poculum ori porrigebat. Absoluto prandio, pe-
 dibus pingebat, cunctis videntibus, tam elegantes litteras latinas, & germanicas, ut
 earum exempla, quasi rem admirandam nobiscum sumeremus. Deinde gladiolo pa-
 rabat calamos ad scribendum aptissimos, quos postea nobis donabat.

Cum esset in his rebus occupatus, diligenter inspeximus formam pedum, quorum
Operationes digiti erant ita oblongi, & ad res apprehendendas idonei, ut procul intuentibus
Thoma sine manus viderentur. Hoc spectaculum sanè iucundum, & nobis gratum fuit. Iussus
brachijs. etiam fuerat paulò ante Cæsareæ Maiestati, nempe Maximiliano Secundo, cum
 Halam urbem ad comitia spirensia transiret, & Electoribus Palatinatus, atque Saxo- B
 niæ, Ludouico, & Augusto se exhibere, quorum Maiestas, & Celsitudo, hanc admi-
 randam Naturæ compensationem, non absque munificentia, & cum admiratione spe-
 ctauit. Vnde postea Ioannes Postius Medicus, & Poeta eximius, operationes huius
 viri sine manibus coram Maiestate Cæsareâ peractas, hoc elegantissimo epigram-
 mate illustrauit.

*Mira fides pedibus dextrè facit omnia Schuueiker,
 Cui Natura parens brachia nulla dedit.
 Namque bibit pedibus, pedibus sua fercula sumit,
 Voluit & his libros, præparat his calamos.
 Quin, & litterulas pede tam benè pingere nouit,
 Artis superet grammata ducta manu.
 Maximus hæc Cæsar stupuit quondam Aemilianus,
 Donaq; scribenti largus honesta dedit:
 Omnia namque potest vigilans industria, quodque
 Natura ipsa negat, perficit ingenium.*

Præterea non piget addere aliud epigramma à Schenchio propositum, & conscri- C
 ptum de eodem Thoma Schuueikero brachijs carente.

*Thomas Schuueikerus miranda sortis homullus,
 Quem ditem pietas, ingeniumque facit.
 Has sine brachiolis vitales Luminis auras,
 Aspexit Sueui sub vada lenta Nigri.
 Ne Natura tamen litem pateretur acerbam,
 Robur ei tribuit fortibus in pedibus.
 Quod dextris alij tractant, peraguntque sinistris,
 Ille ministerio perficit omne pedum.
 Nam bibit, & scribit pedibus, comeditque, facitque
 Cingula, mireris, si videas hominem.
 Optimus est calamus crena scriptoribus vnica,
 Quem mira adstanti præparat arte tibi:
 Hunc stupuit Cæsar Maximilianus, eique
 Scribenti quondam largiter ara dedit.
 Mirati Comites, admiratique Barones,
 Mirandi nobis proposuere modum.
 Membro alij accedit, si quid decesserit vni
 Hæc hoc exemplo est maxima nacta fidem.
 Quid non continuus Natura perficit usus?
 Vidi hominem benè sit, quippè meretur, ei.*

Homo sine Nostra etiam ætate, scilicet annis clapsis, nimirum anno supra millesimum, &
brachijs Bo- sexcentesimo vigesimo octauo, iuuenis brachijs carens Bononiam peruenit, qui co-
nonia visus. ram populo operationes hætenus enarratas pedibus optime peragebat, & præter illas
 tormentum manuarium explodebat.

BRA.

E BRACHIA MVTLATA, & transposita.

HACTENVS verba fecimus de illis, qui sine brachijs nati sunt. Modò examinandi sunt illi partus monstrifici, vnico brachio, vel horum altero mutilato, vel transposito orti sunt. Quandoquidem Orosius historicus scriptum *Lib. 5.* reliquit, quòd, impendente bello Macedonico, nimirum C. Petilio, & C. Valerio Consulibus, Sinuessæ puerum vnico brachio esse natum. Iulius tamen Obsequens, puellum vnico brachio ex ancilla, C. Valerio, & M. Herenio Consulibus, prodijisse attestatur. Nos tamen in præsentia damus iconem fœtus vnico brachio, & etiam imperfecto nati: siquidem digiti pauci, & malè erant formati: hæc figura in publico Musæo inuenta exhibetur sub numero I.

Iacobus Rufus in suo opere de conceptu humano, retulit quondam Amiterni duos infantes natos esse, quorum alter omnibus corporis partibus rectè constitutus erat, præter pedes, qui erant tres: tertius enim cum tibia ex poplite sinistro originem ducebat. Alter verò puellustribus quidem pedibus erat refertus, sed dextro postea brachio carebat. Huius secundi fœtus vnico brachio nati, anno Mundi octingentesimo decimo nono supratrīa millia, Amiterni, Licosthenes meminit, & in figura II. ostenditur.

I.

II.

Sin vltius progrediamur, incidemus in monstrificum hominem, qui brachiorum alterum integrum, alterum verò mutilatum habebat. Hic natus est anno supra millesimum, & quadringentesimum nonagesimo septimo, in pago Dirlistorff, die sexta Decembris, corpore benè constituto, sed brachium sinistrum vsq; ad cubitum tantummodò erat conformatum, in cuius extremitate carnosus tumor instar parvæ nucis eminebat. Alterum brachium erat quidem integrum, sed manus in tres tantum digitos, & penè copulatos erat diuisa. Hic puer fuit educatus, & cibum, atq; potum non modò monstrifis manibus capiebat, sed etiam pecuniam numerabat, rationes subducebat, easdemq; elegantissimis characteribus libro assignabat. Deinde cætera munia exercebat, quæ ab alijs hominibus vtraq; manu perfectæ fieri solent. Vixit, referente Licosthene, vsq; ad annum supra sesquimillesimum quinquagesimum septimum, quo tempore iam annum sexagesimum ætatis suæ superabat; eratq; illius formæ, qualis in icone III. spectandus proponitur.

Homo brachio mutilato.

III.

Viuit etiam hodie Bononiæ adolescens annorum sexdecim, Thomas Buganelus appellatus, cuius brachium dextrum in cubito terminatur, vbi rudimenta quædam digitorum, & vnguium apparent. Pariter, dum hæc scriberemus, anno supra millesimum, & sexcentiesimum quadragesimo, die vigesima octaua Iunij vxor cuiusdam Fabrilignarij, puellum integris partibus, præter sinistrum brachium, enixa est, quod in cubitum definebat, vbi rudimenta confusa digitorum, & vnguium conspiciuntur.

Cætèrùm si conuertatur animus ad monstrificos partus brachia transposita habentes, proculdubiò multos in medium afferre possemus; sed horum vnum, aut alterum exemplum sufficiet. Primum memorat Cælius Rhodiginus natum in vico Patrij soli; erat quidem partus quadrimestris, sed magnitudinis insolitæ. Corpusculum erat integrè formatum biceps, cum duobus brachijs suo loco collocatis, sed tertium brachium inter vtrumq; caput ex humeris surgebat.

Lib. 24. lect. antiqu. cap. 3.

Alius infans monstrifus natus est Stetini, in suburbio, anno supra sesquimillesimum quinquagesimo quarto, vt annotauit Licosthenes, ex Fincelio. Hic fœtus, præter alia monstrifosa, brachium sinistrum habebat transpositum, quia locum auris occupabat. Deinde cognosci non potuit, num fœtus, vel mas, vel femina, vel Androgynus esset. Insuper brachia, & crura infantis osse continuo rigeabant sine iuncturis, cubitis, & poplitibus. Manus, & pedes erant penduli tanquam fracti: hic

III.

Ss 2

partus

I. Foetus vnico brachio.



II. Puer vnico brachio, & tribus pedibus.




Ss 3

III. Monstrum altero brachiorum mutilato.



III. Infans brachio transposito.



partus mortuus in lucem egressus est, quamvis in aluo materna viueret, cuius figura in numero IIII. collocatur.

L. 2. de gen. An. c. 3. In inquirendis horum monstrorum causis, non erit confugiendum ad monstrificos genitores: quandoquidem, iuxta Aristotelis doctrinam, ex parentibus læsis, atque A

mutilis, filij interdum mutilati, & interdum minimè læsi oriuntur. Namque ubi deficit vigor paterni seminis in conformatione alicuius partis, interdum virtus spirituosa seminis materni ita operatur, ut in procreatione illius membri, defectum paterni seminis suppleat. Verum, in hoc casu, omnes Authores in hanc veniunt sententiam, monstra mutilata ex inopia materiæ originem trahere. Verum quidem est, quòd, in hac assignanda causa, hac distinctione possumus incedere, nimirum dicendo partus monstrificos, vel magnis partibus corporis, veluti brachijs esse mutilatos, vel parvis tantummodo partibus carere. Quoniam si magnæ partes, ut brachia desint, quod contingit in nostro casu; tunc cum viris eruditis asserendum erit, talia monstra ortum trahere ex defectu illius materiæ, quæ conformationi illius partis competebat: etenim quando foetus parvis caret partibus, nempe vel oculo, vel aure, & similibus, tunc poterimus asseuerare id oriri ex defectu illius materiæ, quæ dimanauit ex residuo alimenti partium similium in corpore genitorum.

Materia defectus quid operetur.

Nisi velimus causam horum monstrorum referre in illam portionem seminis dicatam generationi membrorum mutilatorum, quæ fecunditate careat, alijs partibus seminis perfectam naturam retinentibus: aut quia hæc portio seminis ultimam perfectionem in testibus non sit assecuta; aut tandem, quia eius vigor in utero propter aliquam causam, dissolutus, & dissipatus fuerit. Quocirca hinc dimanauit alia ratio huius affectus, & est, quando materia ad recipiendam formam membri deficientis, in primordio generationis fuerit inepta: hac de re in substantiam viuentem transmutari non potest. Et sic foetus unico tantum brachio, vel brachio mutilato in lucem egreditur.

Materia inepta ad formam.

Quamvis sæpè etiam hoc vitium ab angustia receptaculi foetus prodeat, & potissimum quando foetus vitiatus vnà cum mola, vel cum alijs foetibus perfectis, & iustæ magnitudinis conceptus fuerit. Immo, breuitatis studio, omissa phantasia, quæ materiam augere, & diminuere non potest, possemus hoc vitium reducere ad morbos, quibus aliqua pars foetus in utero mutilatur; sed de his hæcenus. C

Morbi vis.

Quantum attinet ad membrorum transpositionem, aduertendum est, quòd causa principalis potest esse praua vteri conformatio, siue fuerit naturalis, siue aduentitia: quandoquidem si propter obliquitatem matricis, vel propter tumorem eiusdem, materia ad formandum brachium destinata, in proprio loco non possit dilatari, delata in alium locum, vel collo, vel capiti agglutinatur, & ibi formam brachij induit. Hinc foetus productus, cum brachio, vel alio membro transposito ad vitales auras egreditur. Aliquando causa referri potest ad placentam vteri, quæ adhærens fundo matricis, munere iecoris in mulieribus prægnantibus fungi solet. Hæc igitur placenta, si maiorem nanciscatur molem, quàm oporteat, vel in alieno situ à naturali ob quamlibet causam augeatur, tunc materiam formando foetui dicatam à naturali sede pellit: ideòque monstra superius descripta resultant.

Causa transpositionis partium.

Neque in hoc casu mola est omittenda, quæ nil aliud est, nisi substantia carnis ex vitiato semine in utero, vel ante procreatum foetum, vel post, vel vnà cum ipso conceptu generata: siquidem hæc, propter duritiem, alicui membro foetus impimento esse potest, ne ipsum in proprio loco, sed transpositum formam propriam induat. Cæterum causa huius effectus potius à motu, & ab agitatione materiæ seminalis pendere potest: quando mater concipiens vehementi motu, & vaga agitatione vexatur, vel quando percussione ventris incurrit: nam tunc illa materia, quæ ad foetus formationem spectat, diuellitur, & à naturali sede in alienam transponitur; hacque ratione brachium, quod ex humeris pendere debet, à collo interdum originem ducit.

Mola est causa monstrorum.

Non negamus quidem, in producendo hoc effectum, imbecillitatem facultatis operari; quæ facultas illa est, quæ confusæ, & rudis materiæ in utero existentis partes segregat, & ad sedem destinatam transmittit: quando igitur talis facultas, ob languorem, suo munio non fungitur, & virtus formatrix magno vigore potitur; tunc

Imbecillitas facultatis.

tunc magnum impendit periculum, ne membra absq; vlllo ordine in foetibus progignantur.

Præterquamquod Natura in conformatione partium foetus à visciditate, & lentore materiæ interdum impeditur, ne vnicuique membro suam sedem distribuatur: etenim materia tenax difficulter diuiditur, & tunc vis formatrix valida, in materiam licet in propria sede minimè locatam operatur: quandoquidem agens naturale circa materiam dispositam semper versatur, vt illam debita forma induat, etiam illa materia à loco destinato fuerit remota.

BRACHIA MONSTRORVM Multiplicata.

NATVRAM aliquando in foetibus brachia multiplicare obseruatum est in monstris varijs ætatibus in lucem editis. Primum reuocandus est ad memoriam ille foetus antea descriptus, in Agro Tigurino natus anno Domini supra sesquimillesimum trigesimo sexto, vt Conradus Licothene Historiographus recitauit. Erat enim refertus tribus brachijs, & totidem pedibus: quamuis postea duo haberet capita, fuitq; valdè similis illi, qui apud Heluctios in Pago Gossouu, ante sexennium in lucem prodijt.

*Monstrum
tribus bra-
chijs natum.*

Immò Iulius Obsequens monimentis mandauit, P. Crasso, & M. Iuuentio Consulibus, foetum tribus brachijs, refertum ab utero muliebri emeruisse. Iacobus etiam Rufus in opusculo de conceptione, & generatione hominis, meminit pueri tribus brachijs, & totidem pedibus præditi, qui, vt historia Romana recenset, Venafri ortus est, cuius foetus effigies in figura I. monstratur.

I.

Grant. Quid? aliquando puiones quattuor brachijs fuisse conspectos historie mem-
rant. Etenim collegimus ex Licothene, quod anno ante natum Christum supra centesimum sexagesimo secundo, Theatri Sediæni infantem quattuor brachijs, & totidem pedibus visum fuisse. Quamuis alij, vt Ioannes Georgius Schenchius legant, hunc puerum Theani esse ortum, M. Marcello, & P. Sulpitio Consulibus. Item, ex relatione Iulij Obsequentis, anno ante Christum natum sexagesimo supra centesimum, T. Gracho Consule, partum quattuor brachijs insignitum Antiquitas conspicata, & admirata fuit. Rursus anno ante natiuitatem Christi centesimo trigesimo tertio, puer ex ancilla quattuor brachijs, & totidem pedibus, referente Licothene, ortus est.

*Monstra
quattuor bra-
chijs nata.*

*Monstrum
ex ancilla na-
tum.*

Iterum anno Domini supra millesimum, & trecentessimum octuagesimo nono, in Italia, authore Licothene, infans quattuor brachijs, & totidem pedibus visus est, qui caelesti lauacro aspersus, illicò expirauit. Hic puer monstrificus fortè conuenit cum illo, qui in Italia natus esse perhibetur, eo tempore, quo Veneti, & Genuenses fœdus iniuerunt. Alioquin anno supra millesimum, & quadringentesimum decimo tertio, visa fuit puella, sed biceps quaternis brachijs, & totidem pedibus prædita, quæ in Boioaria Aquilonari inter Danubium, & Alemanum fluuios auras vitales hausit.

Propè Esselingam Neccari, anno Domini supra sesquimillesimum vigesimo octauo, ex historia Licothene, monstruosus infans fuit conspectus cum quattuor brachijs, & totidem pedibus: Immò subsequenti anno, vt annotauit Iouianus Pontanus, nimirum anno Domini supra sesquimillesimum vigesimo nono, die nona Ianuarij, mulier in Germania infantem masculum quaternis brachijs, & totidem pedibus refertum enixa est. Huic alium similem narrat vidisse Iacobus Rufus Chirurgus Heluetius genitalibus maris, & fœminæ refertum eius figuræ, quæ in iconæ II. delineatur.

*Monstrum
brachijs qua-
druplicatis.*

II.

Pariter, ex Iacobo Rufo, in Anglia, anno Domini supra sesquimillesimum quingagesimo secundo, non procul ab Oxonia, puellus biceps, quattuor brachijs, & vnicò ventre natus est. Denuò die vigesima septima Decembris anni supra sesquimillesimum

I. Puer tribus brachijs, & totidem pedibus natus.



II. Foetus quaternis brachijs, & pedibus.



lesimum quinquagesimi quinti, in pago Freyuuecik non procul ab Adorffio oppido Vortlandiæ, puer, quattuor brachijs, & totidem pedibus, sed capite duplici fuit obseruatus, qui ab alio vxoris Fabriferrarij exiuit: quamuis Licosthenes tradiderit sexum huius fatus fuisse ignotum, quoniam sedem genitalium vmbilicus tantum A occupabat.

Manus quatuor cum sex digitis. Intelleximus etiam à viris fide dignis, nuper in Agro Ferrariensi, nempè anno supra sesquimillesimum septuagesimo nono, die vigesima quarta Iulij, vespertino ingruente crepusculo, monstrum quattuor brachijs insignitum in lucem prodisse, cuius singulæ manus sex digitis erant refertæ. Nos in præsentia exhibemus Lectori spectandum monstrum hermaphroditicum quattuor brachijs, & pedibus integratum, cuius icon in publico Musæo inuenta est III.

III.

Circa multiplicationem brachiorum, Authores inter se sententijs variant: quandoquidem Conradus Licosthenes, in sua historia duobus in locis de brachijs multiplicatis verba facit, & semper vbique hæc plura brachia Nationibus quibusdam assignare videtur, quasi nobis insinuare velit, homines tot brachijs refertos inter monstra non esse recensendos. B

Homines multis brachijs in India.

Horum meminit Primitus, quando recitat. A Lusitanis nauigantibus, in medio itinere ad Calecutum, vbi Cynosura videri non potest, reperti sunt in quadam insula homines duobus brachijs, & totidem manibus in dextro latere muniti, auri- bus asininis, & facie humana, qui more ceruorum currunt. Alibi verò, ex aliorum pariter relatione, scriptis mandauit hæc verba. In Gestis Alexandri Magni Macedonum Regis legimus, in India homines versari sex brachijs, & totidem manibus refertos, qui toto vitæ curriculo nullam valetudinem aduersam incurrunt; quorum effigies in icone IIII. conspicitur: si tamen Licosthenes, in his scribendis à recto veritatis tramite non recesserit, quod in dubitationem vertitur. Quandoquidem si Natura in conformandis foetibus errans, interdum septicipites generauit, vt superius fuit demonstratum, cur aliquando pueros etiam sex brachijs refertos, & hexachiros producere non potuerit? qui postea, Alexandri Magni ætate, obiter in aliqua regione remota conspecti, tanquam variæ hominum species fuerint crediti; sed de his legenda est Rubrica differentiarum, capitis primi huius historiæ, vbi hæc figura C V. erat collocanda.

Causa monstris multis brachijs præditi.

Si vlli partus monstrifici ex vberiori seminis copia causam sortiri seruntur, proculdubio monstra multis brachijs referta ad prædictos partus reducenda sunt. Proptereaquod Philosophorum, qui de monstris scripserunt, sententia est, si quando animal sua natura vniparum, vt homo, plus materiæ seminalis in congressu excreuerit, quam necesse sit ad vnus animalis procreationem, fieri non posse, vt ex ea tota materia vnum tantummodò animal generetur: propterea inde, vel gemini, vel plures foetus resultant. Hinc fit, vt postea huiusmodi partus portenta, & monstra esse ferantur; quoniam, præter consuetam naturæ legem, procreantur. Quamobrem partus superfluis partibus integrati, quarum exempla in superioribus figuris habentur, eandem esse causam, quæ Geminorum, & multiparæ generationis, asseueramus.

Partus monstrosi in Italia.

Etenim ex copiosiori seminis effusione, quàm pro natura partus requiritur, multiplicationem partium fieri liquidò constat. Sic narrat Diuus Augustinus, suæ ætate natum in Oriente puellum, cuius partes superiores erant duplicatæ, cum tamen inferiores partes tantummodò simplices essent: nam quattuor brachia, & quattuor aures habuisse perhibetur, qui tamen aliquandiù vixit. Pariter Cælius Rhodiginus diuulgat visos fuisse olim in Italia duos partus monstrificos huius generis, nimirum, qui partes multiplicatas habebant, quorum alter masculini, alter foemini sexus erat; sed mas citò interiit, cum tamen femina, præter omnium expectationem, ad annum vigesimum quintum vitam produxerit, & tamen hoc conditionibus monstrorum aduersatur, quoniam hæc ferè semper breuioris vitæ esse dicuntur: siquidem dum inuita Natura oriuntur, pariter etiam viuunt. Ex his igitur breuiter expositis, vnusquisque causam monstrorum multis brachijs præditorum elicere poterit, quæ in excedenti vbertate materiæ consistit.

Monstra sunt brevis vita.

VITIA.

III. Monstrum hermaphroditicum quattuor
brachijs, & totidem cruribus.



III. Homo sex brachijs refertus. III.



E V I T I A T A M A N V V M, & Digitorum Conformatio.

CVI hoc mirum videri non debet, si non pluribus complectamur monstrosas manus, quam brachia: quandoquidem hæ partes adeo simul copulatæ sunt, ut Auctores alteram pro altera identidem nominent. Namq; certò certius est, quòd Historiographi describentes foetum sine brachio, ipsum sine manu natum esse pronunciarunt, & vicissim monstrum sola manu mutilum brachio carere retulerunt. Etenim Licosithenes in Chronicis, posteritati mandauit, quòd anno Mundi septingentesimo septuagesimo quarto supra tria millia, in Piceno, puellus truncis manibus ortus est, & Hali Rodoham in Commentarijs ad artem Medicinalem Galeni, hominem viuum sine manibus se conspicuum fuisse testificatur: quamuis postea vnà cum manibus etiam brachio caruerit.

*Monstrum
sine mani-
bus.*

Pariter Aretij, anno Mundi septingentesimo nonagesimo secundo supra tria millia, puer vnimanus visus est, si veritas in Historijs inueniatur. Item Romæ, anno Mundi octingentesimo septuagesimo secundo supra tria millia, ancilla puerum altera manu mutilum edidit. Et Iulius Obsequens meminit puellæ sine manu natæ Priuini.

Schenchius autem in Observationibus describit puellam manibus truncatam, non à natiuitate, sed quia vi morbi deciderant, non secus ac si ferro amputatæ fuissent, trunco tamen illælo: hac de re in vijs eleemosynam quæritabat. Iacobus autem Rufus in suo opere de conceptu, & generatione hominis, infantem manibus mutilatis à natiuitate se obseruasse testatur: cum tamen reliqua corporis forma iusta, & perfecta esset, & rationem monstri partus imperfecto semini attribuit. Huius effigies in iconè I. exprimitur.

Lib. 5. cap. 6.

I.

Puellam pariter trunca manu, cum quodam tumore, vnde manus prodire debebat, Leuinus Lemnius se obseruasse fatetur. Hanc igitur contrectandam Parentes illi libentissimè exhibuerunt: ideò Leuinus contactu deprehendit in tumore illo articulos, qui Naturæ munere erant erupturi, conuolutos, atq; in se se retortos, ita ut nullum digitorum rudimentum præ se ferrent. Quandoquidem omnes partes manus, quibus illa explicari, & complicari solet, in primordio generationis delituerunt. Tunc igitur, hoc animaduerso, erratum, & vitium naturæ inde contractum, pronunciauit; quia illa facultas formatrix, quæ procreationi foetum famulatur, aliquo impedimento prohibita fuit, quominus articulos perficere, & illos in spatiosam, & decentem manum formare, & extendere potuerit.

*Lib. 4. de oc-
cult. nat. mi-
rac. c. 7.*

Nam mater huius puellæ lienis duritie laborabat, & quoniam sæmellæ in matris aluo morantes in latus sinistrum declinant, vbi lien residet: hinc coniecit Leuinus, quòd illa vitiata manus, ex affectione, seu tumore huius visceris, cui manus monstrosa tanquam scopulo adhærebat, informem, & indecoram figuram consequuta fuerit.

*Causa præ-
dicti vitij.*

Quemadmodum Natura, vt hætenus fuit relatum, impedita suas non obit functiones in formandis manibus fatuum, vicissim ab alia causa sollicitata digitos manuum, & pedum in aliquo foetu ita multiplicat, vt infans quandoq; duplicatas manus in vtroq; brachio, & geminatos pedes in vtroq; crure gestare videatur.

*Manuum
multiplica-
tio.*

Huius non dissimilem puellum describit Iacobus Rufus, in opere de conceptu, & generatione hominis, qui geminatis manibus, atq; pedum digitis, cæteris membris rectè constitutis, in lucem prodijt, quemadmodum icon II. exprimit.

*Lib. 5.
II.*

Amplius, ex Iulio Obsequente, puer quadrimanus memoratur, natus anno Mundi octingentesimo trigesimo supra tria millia. Et nuper Terracinæ quadrimanum foetum multi conspexerunt, & admirati sunt.

Tt 2

Insu-

I. Infans manibus mutilatis.



II. Infans geminatis digitis.



*Manus di-
storta.*

III.

*Causa ma-
nus vitata.*

III.
V.

*Lib. 5. obser.
obser. 25.*

*Exercit.
199.*

*Mala digi-
torum con-
formatio.*

L. 24. c. 5.

VI.

Insuper Natura, in conformandis fetuum manibus, alijs impedimentis vexata, & alijs causis sollicitata, manus quidem, & pedes æquo, & conuenienti digitorum numero integratas generat, sed postea manus distortas, & alio modo deprauatas producit. Id accidisse Bononiæ anno Domini supra millesimum, & quadringentesimum A quadragesimo sexto, die vltima Decembris, per Historias constat: nam hora noctis octaua natus est infans imperforatus, cum dentibus, & labijs fissis, sed manibus, & pedibus contortis: effigiem autem monstri distortis manibus, & pedibus Ambrosius Pareus exhibet, qualis in icone III. conspicitur.

Distortio manuum in memoriam reuocauit manum deprauatam hamatam, & monstrificam in materna aluo conformatam, occasione gammarorum, cuius historia legenda est apud Schenchium libro quinto obseruationum recognitarum.

Præterea anno elapso, nempe anno supra millesimum, & sexcentesium quadragesimo, mense Maij, dum hæc scriberemus, peruenit Bononiam quidam mendicus ætatis annorum viginti, natus in agro Ariminensi, nomine Antonius, qui manum alteram valdè monstruosam, altera tamen integra, ab utero matris reportauit; & fortassis ob rationem non valdè diuersam ab illa, quam retulit Leuius in tuberosa puellæ manu: namq; in hac etiam contrectanda manu, tres tantummodò digiti vsq; ad secundum articulum, quamuis retorti, & diminuti eruperant, reliqui verò digitorum articuli intra pellem tuberosæ manus simul concreti tactu deprehendebantur, hanc igitur pronè, & supinè delineari curauimus, vt Lector perpendere, & admirari possit; quas sceditates in fœtibus Natura impedimentis stimulata procreet. Hæc manus monstruosa pronè depicta in icone III. & eadem supinè effigiata in icone V. demonstratur.

Schenchius quoq; meminit monstruosæ, & horrendæ manus. Puella enim agens annum decimum tertium sinistram manum habebat, non à prima conformatione vteri, sed post octauum ætatis annum, monstrificam, quia in tantam magnitudinem aucta est maculis subalbis aspersa, & adeò facta aspectu, vt magni Bufonis effigiem repræsentaret. Præterea cum hac monstruosa manu nata videbatur, quoniam tactu erat mollis, & nullius doloris particeps; quemadmodum si spongia substrata fuisset, articulis digitorum propter tumorem minimè conspicuis. Hæc autem manus in eadem semper magnitudine, & enormi figura consistebat, neq; ad vllas aeris, vel Lunæ mutationes crescebat, aut decrecebat. Idq; obseruatum fuit anno supra sesquimillesimum quinquagesimo quinto. Item Iulius Cæsar Scaliger in exercitationibus diuulgauit se vidisse Matronam, quæ manum altera duplo maiorem habebat.

Reliquum est modò, vt ad peculiarem digitorum considerationem accedamus. Siquidem facultas formatrix in materna aluo, ingruentibus causis agitata, manus paucitate digitorum deuenustat: Etenim Ioannes Georgius Schenchius monstrat iconem monstrificæ manus quattuor tantum digitis integratæ, cuius pollex inusitatam longitudinem, & proportionem præ se ferebat. Præterquamquod superius meminimus hominis sexagenarij, cuius dextra manus tribus tantum digitis erat integrata: nihilominus computationis munio in ædibus cuiusdam munificentissimi Viri diligenter fungebatur. Nostra etiam ætate, nimirum anno decimo quarto supra millesimum, & sexcentesium, Bononiæ versabatur quidam Philater Tridentinus, D qui quattuor tantum digitis, ijsq; malè formatis, & contortis in vtraq; manu erat relictus: attamen vnà cum alijs Medicinæ studiosis pentadactylis, Doctõris publicè legentis, verba celeri calamo excipiebat.

Monstruosum puerum, & digitis diminutum annorum nouem Ambrosius Pareus obseruauit Lutetiæ, anno Domini supra sesquimillesimum septuagesimo tertio, qui natus erat Parpauillæ pago, sex à Guisio oppido milliaribus, ex Petro Renando, & matre Margherita genitus. Huic duo tantum digiti in sinistra manu erant, brachio tamen non inuenustè formato vsq; ad cubitum, & inde vsq; ad duos digitos valdè deuenustato.


Deinde cruribus carebat, & à nate sinistra figura pedis imperfecta quattuor tantum digitis distincta proferebatur, & ex medio dextræ natis duo digiti erumpebant, quorum vnus genitali virili erat admodum similis. Effigies huius pusionis apparet in figura VI.

Cæterum

III. Fœtus distortis manibus, & pedibus.



IIII. Manus monstrosa pronè picta.



V. Eadem Manus monstrosa supine picta.



VI. Pusio digitis diminutis.



Cæterum veluti Natura foetum quandoq; digitis diminutis constituit; assimiliter interdum superfluos procreat. Quandoquidem in manibus, & pedibus obseruantur aliquando *παρὰ φύσιν*, nimirum agnationes, quando superfluus adnascitur in manu, *Digitus superflui.*
 E vel pede digitus, ratione vbertatis materiæ. Visus est enim interdum homo senis digitis in vtraque manu, & sextus inter annularem, & auricularem erat locatus, mobilis tamen, & ad vsum, sed manus erat insignis latitudinis. Quamquam Paulus Aegineta huiusmodi digitos superfluos quandoque totos carnosos, nec non malè formatos, & aliquando immobiles esse scripserit. Hanc sententiam confirmare videtur Hali Rodoham in Commentarijs ad artem medicinalem Galeni, dum multoties sextum digitum additum vidisse retulit. *L. 11 c. 43.*

Hæc etiam fuit doctrina Plinij, & Petri Criniti, qui sex digitos in manibus filiarum M. Coriacij fuisse tradiderunt: hac de causa illas sedigitas appellabant. Pariter Volcacium virum in Poetica celeberrimum, propter eandem causam, sedigitum nuncuparunt, cum eius manibus Natura sextum digitum addiderit.

Schenchius quoque meminit honestæ Matronæ senis in vtraque manu, & pede digitis, quæ postea filiam totidem digitis referam peperit. Accidit etiam, vt, dum prælia in Geth committerentur, ibi obseruaretur homo senis digitis longissimis in vtraque manu: vt author est Schenchius. *Li. obser. 32.*

Et Licosthenes anno supra sesquimillesimum quinquagesimo sexto conspicatus est agricolam Basileæ Rauracorum, cum sex digitis in vtraque manu iustæ magnitudinis, & idoneæ proportionis; Id alia obseruatione confirmat Valeriola, qui adolescentem annorum quindecim Arelatæ cognouit, anno supra sesquimillesimum sexagesimo primo, mense Iulio, qui vtramq; manum sex digitis decoratam, & vtrumque pedem septem digitis integratum gerebat. *Lib. 4. obser. 2.*

Demùm addit Schenchius se nouisse iuuenem, qui indicem manus sinistræ in tres acies distinctum habebat, quæ tres digitulos affabrè repræsentabant. Vidimus, & nos Bononiæ quemdam infimæ sortis hominem cum sexto digito inter annularem, & minimum, sed mobilem, & ad omnes vsus idoneum, quoniam manus insigni latitudine erant refertæ.

Itaque Natura non modò in diminutione, & auctione digitorum errat, verum etiam manus alia de causa ita deueniunt, vt potius bruti, quàm hominis esse videantur. Id manifestum fuit in illo foetu nato in Germania, propè Lauferburgum, oppidum in finibus Helueticorum ad Rhenum flumen situm, anno Domini septuagesimo quarto supra millesimum, & ducentiesimum, qui, iuxta sententiam Licosthenis, manus, & pedes anseris habuit, veluti in icone VII. conspicitur. Sed nuper in Agro Regiensi, nempe anno supra millesimum, & sexcentiesimum trigésimo octauo, monstrum huiusmodi manibus, & pedibus natum nobis viri fide digni retulerunt. *Manus more anseris procreata. VII.*

Descriptorum in hac Rubrica monstrorum causas inquirentes ordine retrogrado incedemus, dùm primò monstri postremi causas assignabimus, & deinceps aliorum quoque meditabimur. Cum igitur monstruosus puer vltimo loco delineatus, manus, & pedes alterius speciei animantis habeat, illam ex diuersis speciebus animalium integratum constituemus: ideoque ad horum monstrorum causas confugiendum erit. Harum prima est languor virtutis generantis; dum enim in vna, vel pluribus seminis portionibus hæc languescit, non potest inde determinata particula prodire. Nisi velimus asserere vim seminis aliquando in alienam naturam degenerare, & quando degenerat, tunc partes monstri partus, veluti in manibus, vel pedibus monstri feræ nascuntur: sicque forma pedum, figuram pedum anseris, vel vituli referunt. *Causa monstrorum peculiare.*

Deinde principium materiale foetus inter has causas est recensendum: quandoquidem, cum non sit optimè dispositum ad recipiendam manuum, vel pedum formam, tunc induit figuram alterius speciei animalium, & tunc inde pedes anserini, aut asinini facillè resultant. *Imaginationis vis.*

Insuper prætermisso vitio virtutis alentis, & alimenti, necnon morbo, quæ omnia possunt partes fatuum in alienam naturam transfigurare, accedemus ad imaginationem, quæ in parentibus, & potissimum in matre vtero gerente ita operatur, vt nota rei ab ipsa desideratæ in partu imprimatur. Quare si auide appetat pedes vituli,

VII. Infans manibus, & pedibus anserinis.



tuli, aut anseris fieri potest, vt facillè partus pedibus vitulinis, vel anserinis refectus in lucem prodeat.

E Quamuis non ignoremus id ad parentes monstrosos, & aliquando ad nefariam venerem referendum. Nihilominus hac in re phantasia primas tenere videtur; quoniam nouimus honestam mulierem vtero gerentem, quæ ab esu oui anseris timuit, ne aliqua pars anseris in foetu imprimeretur, & digiti manuum foetus membrana quadam, instar pedum anseris, distincti in lucem prodierunt, quæ postea, Chirurgi ope diligenter ablata fuit. Item prætermittimus aliam causam, nempe vim Cacodæmonis, qui varijs rationibus infantes in vtero existentes deprauare potest.

Vis Cacodæmonis.

Insuper missam facimus causam monstrorum, quæ multitudine, & diminutione manuum, & digitorum deturpantur: siquidem hæc monstra ex vberiore, & deficiente materia originem trahere iam manifestatum est. Descendemus igitur ad illos partus, qui distortionem membrorum fixati in lucem egrediuntur, etenim hæc monstra, vt plurimum ex praua collocandi corporis consuetudine ortum deprauatum contrahunt.

F Est id in mulierum grauidarum genere calamitosum, dum hoc vitium non modo matris, sed etiam proles in vtero conclusæ corpus distorquet, & peruertit. Etenim mota quolibet modo muliere, omnia etiam, quæ in illius vtero sunt moueri necesse est. Præterea illæ mulieres, quæ subligaculis, fascijs, aut arctis vestibus corpus comprimunt, sobolem quoque repandam, distortam, gibbam, pedibus, manibusque obliquis enituntur; quemadmodum in icone superius delineata licet intueri.

Causæ distortionis membrorum

His addendus est ictus, & lapsus ab alto, quæ occasiones, & similes iniuriæ ad grauidam mulierem attinentes, necessariò etiam ad prolem spectabunt, & penetrabunt. Quamobrem ossa tenella foetus interdum franguntur, intorquentur, luxantur, aut alia quauis enormi foeditate deprauantur. Præterquamquod huiusmodi violento casuum incursum, & concusso vehementius toto corpore, rupta, & aperta vena, hæmorrhagia emergit: hac de re foetui alimentum subducitur. Hinc postea minuta, tenuis, & planè monstruosa proles resultare solet.

Casus ab alto quid præstet in fœtu.

G
DE PRAVA VENTRIS,
& Genitalium Constitutione.
Cap. V.



H VPEREST, vt ad deprauatas alui, & genitalium partes ponderandas accedamus. Scribit Hesiodus in Melpomene Herculem quondam inuenisse in antro virginem ancipitis naturæ, quoniam partes infra umbilicum in effigiem Serpentis desinebant, veluti in Historia Serpentum fuit recitatum. Deinde in Thracia paulò ante Mauritij Romanorum Regis obitum, horrendum mulier monstrum edidit, quod umbilico tenus rudimentum humanæ formæ præ se ferebat, sed partes alui in piscem terminabantur, quod, Mauritij iussu, fuit interfectum, & mater, quia nihil ad hoc monstrum contulisset, culpa fuit absoluta; vt in capite antecedenti, iuxta sententiam Licotthenis, enucleauimus.

Huc reuocanda est memoria illius monstri in capite bicipitum commemorati, quod natum est anno supra sesquimillesimum nonagesimo octauo, mense Octobris, inter Augeram, & Tortonam, quod circa nates spatium duorum digitorum, caudam habebat longitudine ferè quinq; digitorum, quæ foramen podicis tegebat, vt in quadrupedibus caudatis obseruatur. Genuæ quoque anno supra sesquimillesimum quinquagesimo quinto, ex muliere Galla inibi habitante natum est monstrum bifrons instar Iani, de quò superius egimus, sed præter hanc deformitatem, ex eius dorso intestina prodibant, & circa partem inferiorem ventris, hepar pendebat ex vulua

Monstrum humanum caudatum.

V u

prola-